



De CACATZIN, seu parua
ÇACATL. Cap. LXXI.

HERBA est Cacatzin folia Ma-
li Punicæ proferens, sed lon-
gè maiora. caules purpureos, ac fru-
ctum orbicularem cicere maiorem.
Radicem verò fibratam. Nascitur in
iugis arborum expertibus, regionum
frigidarum, quale est oppidum *Tli-
lynguitepece Tlaxcaltecarum*, vbi in ma-
ximo habetur ab indigenis pretio, pu-
tantibus incolumes ab omnium mor-
borum iniurijs degere, ob eius her-
bæ copiam. Cortex namque radice
redactus in puluerem, ac duarum
drachmarum pondere deuoratus, al-
uum leniter, ac citra noxam vllam
subducit.



De TCHCAXIHVITL, seu Gof-
sipio. Cap. LXXII.

HERBA est Tchcaxihuitl; Gof-
sippium à nostris nuncupata, quæ
est huc nouæ Hispaniæ frequentissi-
ma, & cuius per singulos annos mes-
sis fit vberissima. Nascitur in calidis
humidisque, cultis præcipuè, locis. Ger-
mina tula, atque eptora ex aqua,
aiunt, mirè resistere puncturis Scor-
pionum, Viperarum, cæterorumque
animalium venenatorum, caulis vide-
tur frigidus, siccusque, & adstrin-
gens. & vlcibus medetur leuiga-
tus, & admotus. folia verò glutinosa
naturæ.

Gossipium Europe notissimum, cuius
descriptio vberior extat apud Martia-
lum, Herbarium Lugdunense, & alios
Botanicos.

De

De ATLYCHIPINCA, seu Aqua gutta. Cap. LXXIII.

ATLYCHIPINCA herba est paruula, folia fundens Solani, Pipe-
risuè, neruis secundum longitudinem procedentibus, molliora tamen,
& magis acuminata. caulem breuem, tenuem, ac tenerum. Radices verò ca-
pillis similes. Sapore, & odore insigni caret. Prouenit in calidis *Pahuatlanen-
sibus*, circa loca humentia, amplexa cautes. Frigidaque, & humenti constat natu-
ra. Propinatur vnciæ vnus mensura, ex aqua fontana, Buglossiuè, aduersus
cordis affectus, quos vehementi ardore laborantes pati solent. Sedat enim calo-
rem, arceat animi deliquium, omnemq. angustiam, atque anxietatem fugat.

De XICAMA. Cap. LXXIV.



HERBA est Xicama vocata, volu-
bilis, quam Mexicenses *Carzotl*,
seu radicem succo manantem, vocant, ra-
dicis crassæ, in orbicularem formam ma-
gna ex parte vergentis, candidæ. gratiq.
nutrimenti, & impensè refrigerantis tem-
periei. vnde prodeunt rami tenues, teretes,
longi, & per terram sparsi. è quorum sin-
gulis per longa interualla, terna oriuntur
folia, composita in modum crucis, ac velu-
ti per medium orbiculariter secta. siliquæ
etiam mediocres, quibusdam infartè lenti-
bus. Vbique prouenit, sed præcipuè hor-
tensibus locis, sata atque exculta. Vsus est
radicum, vt quæ in mensas postremas sub-
inde veniant, gratamque, & frigentem, &
flatui generando aptam, præbeant æstuan-
tibus alimoniam. neque admodum mal-
lam, si prius aliquandiu pendeant perfla-
bili loco, ac permittantur ibi emarcesce-
re. Sitim eadem extinguunt, linguæ ca-
lori, & siccitati aduersantur, febricitantibus peropportunum alimentum præ-
stant, corporaq. refrigerant, humectant, & alunt. Saccharo conditas aliquan-
do audio radices, aut arena obrutas, delatas fuisse in Hispanias, nec priusquam
eò peruenirent vitium aliquod contraxisse.

Flores purpurei depinguntur in hoc legumine, siliqua vero nigra.

De COZAMALO XIHVITL, seu herba Iris. Cap. LXXV.

COZAMALO XIHVITL herba est radici tenui, & longiusculæ
iunixa. vnde profert caules. & in eis folia rutacea, stipantia vtrinque
caulem

caulem ordine quodam. floresq. albos, & candentes, forma *Hoaxim*. Nascitur in calidis temperatisq. collibus, Mystica inferioris. Frigida est, siccaque, & adstringens. extergit dentes, gingivas carne explet, ac putredinem omnem dissipat. qua in re praestanda mirabile est medicamentum, si iusta ipsa commanfaue; aut eius succus applicetur. vlcibus etiam pudendorum succurrit.

De TETZQVIXOCHITL, seu TZQVIXOCHITEL
faxea. Cap. LXXVI.

HERBVLA est *Tetzquixochitl*. folia mittens Lini caules teneros, teretes, purpureos, ac lignosos. florem Chamæmeli in summis caulibus, sed candentis ambitus, umbilici verò lutei, qui aliquando in purpureum vergit. radices verò furculosas. nec omnino viderur distare à nostrate minori Belli vocata. Prouenit in faxis, faxosisq. locis. Radix frigida est, & adstringens. exhibetur hæmoptoicis cum maxima vilitate, quauis mensura. Seruatur verò radix in annuos vsus.

De YOLOPATLI Irina. Cap. LXXVII.

YOLOPATLI Irina, (sic dicta à facultate cordi opem ferenti à foliorum figura Iridis folijs simili) herba est, cuius duæ reperiuntur species. prima, folia fundit Iridis minora, angustioraque. flores similes *Omixochitl*. radices verò Pyris paruis similes, subrubescens, oblongiores, fibratæque. Posset in Narcissi species referri. Nascitur *Quauhbinanci* calida regione, iuxta montium fauces. Radix vncie vnus mensura deuorata, cordis dolorem, aliosque eius affectus, curare dicuntur, febres extinguere, ictisique, & ijs qui ex loco quodam excelso cecidere, aut verberati sunt, opitulari. Sunt qui asserant syncopi mederi, mœrori, ac pectoris morbis, cubitum iam euntibus deuorata. Frigida enim, humentique constat natura. caloris, odorisque expers est. Alia *Yolopatli Pitzaohac* nuncupata, herba est carens caule, flore, & fructu. folia verò fert Plantaginis similia, sed tenaciora, crassioraque, & angustiora, ex vnica radice, singula binauè, prodeuntia. Hæc in calenti prædicta nascitur regione, faxosis locis. trita ac deuorata, febres extinguunt. frige facit enim quoquomodo corpori admoueat.



De

De MATZATLI, seu Pinea Indica. Cap. LXXIIIX.



MATZATLI, seu Pinea Indica, dicta sic ab Hispanis huius orbis colonis, ob fructum, similitudinem Pineam habentem, planta est folia Iridis mittens, sed spinosa. radicem fibratam, crassamque. & vnicum pomum, germinibus circumcirca exorientibus, ac altero in culmine Pomi. detractis his ac satis, radices statim aguntur, alterumq. producit pomum Pineis nostratibus magnopere, vt dictum est, simile, similibus stipatum. germinibus. initio hoc apparet rubrum, sed procedente tempore, ac rubescens adhuc germine, pallefcit. Alumna est *Haitina* Insulæ; huiusque nouæ Hispaniæ calidarum regionum, montosisq. in locis incola. Sapor est dulcis, acidusque. temperies frigida, atque sicca, ac succo manans natura. Exhibetur febrientibus refrigerij gratia, & ad excitandam appetentiam. retineturque ore, vt situm mitiget, & linguam humectet. quamquam in bilem facile conuerti dicatur. Sapor est eius fructus, quem vulgus Malocotoneum vocant, non sine quodam, vt dictum est acore. condita aliquando saccharo, atque ita delata in Hispanias, gratissimo succo placere. at recentia secantur in frustra, ac muria permittuntur immadescere, vt pars in bilem apta nata conuerti, excicetur, ac velut euanescat.

Hunc Carduum sub Ananas nomine describit *Acosta* cap. 44. atque ex Occidente in Orientem esse translatum. Addit, culcellum, si per noctem in vulnere Pineæ illius relinquantur, corrosum esse. quod quidem à re quauis acida fieri cuius manifestum est.

Ouiedus lib. 7. cap. 13. *historia naturalis Indica*, iconem excepta radice proposuit elegantiorq. descripsit, sub *Tatama* nomine. cuius versionem lege apud *Clusium* in notis ad *Garciam* lib. 2. cap. 5. de *Mangas*.

Citatur etiam *Theuetus*, qui *Nana* vocari ait ab Americanis.

Eadem habet *Herbarium Lugdunense* lib. 18. cap. 75. ubi etiam Icon exhibetur, differens tamen paululum.

Monardes cap. 63. *Strobilium*, & *Nucem Pineam* vocari ait.

LIBR

De

De TEPARI, seu crassa planta. Cap. LXXIX.

TEPARI herba est folia ferens lata, ferrata, oblonga, & mucronibus hastarum ferreis similia, spinifera, & pungenti lanugine insignia, veluti illa vrtica. caules longos, teretes, cauos, geniculis per singula quatuor vnciarum spacia interceptos. Radicem verò sensim gracilescens, fibratamque. Nascitur Pazcuari. insipida est, odore carens, frigidæque temperiei. folia arida, tusaque, mederi dicuntur vlceribus, haud aliter ac ius decocti radicum eius. quod epotum dolores quoque sedat, febres placat, & arthriticis medetur cum adipe applicita.

De TABACIS Haytinorum, quos Mexicani vocant
POCYELT. Cap. LXXX.

TABACOS vocant, Arundinum caua perforataque fragmenta; sesquidodrantem longa, puluere carbonum extrinsecus illita, intrinsecus vero Telt, liquidambra, Xochicoatl, & interdum alijs quibusdam calcnibus plantis, atque odoribus referta. horum incensorum, ea parte qua pleni sunt, fumo ex altera tracto, devoratoque velut quodam suffimento, somnus inducitur, & omnis laboris, atque lassitudinis hebetatur sensus. Quin etiam dolores omnes, ac præcipue capitis, sedantur, pituita fluens ad pectus expuitur, iuuantur asthmatici, & corroboratur ventriculus. Cauendus tamen est nimius eorum vsus, alioqui iecur distemperiem calidam contrahit, in cacheximque, & alias affectiones inciditur incurabiles.

Eadem ferè habet Monardes cap. 15. de Tubulis ad asthma perutilibus. quamuis compositionem non addiderit.



LIBER



RERVM MEDICARVM
NOVAE HISPANIAE
NARDI ANTONII RECCHI
Liber Nonus:
ANIMALIA EXHIBET.

IOANNIS TERRENTII LYNCEI PRÆFATIO.



FERAX Rerum ac Polydala Natura, que non machinata est, ut hominem cuius vnice studiosa est, oblectet, & in sui admirationem allectet? Quam multas hic Plantas, quarum ne nomina ad nostri orbis prius incolæ perueniant, quas occidentalis illa Mexicana regio copiosas fert, genuina sua icone expressas exhibuimus? Non ideo diues illa Natura in his vires suas euacuauit. sunt & animalia non pauca que Author his subiungit, facie, vsu, moribus, mirabilia, ut eorum historia declarabit, que longè ab Europæis nostris, Africanis, & Asianis differunt, adeo ubique omnipotens Deus, summam suam bonitatem humano generi palam facere voluit. Et licet animalia nobis inferuant ad parandum cibum, ad œconomiam, & varias alias exercendas artes, non minimam tamen Philosophia in his sibi partem vendicat, que suaui animum contemplatione, in eam varijs eorum speciebus, & varijs magis eorundem organis corporeis, & animi moribus adhuc magis varijs, pascit & recreat. Quare ad animalia nunc transimus, selecta quidem à Medico, & rara. qui & alia vult, legit Ouedi Naturalium Indicorum historiam, qui summa eadem diligentia describit. Libri etiam historiarum & navigationum, operam suam egregiè præstiterunt in horum enarranda varietate.

Dd

De